



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.  
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris  
Ecclesiastici**

**Fleury, Claude**

**Moguntiae, 1760**

V. De matrimonio & causis matrimonium impedientibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](#)

## C A P. V.

DE MATRIMONIO ET CAUSSIS  
MATRIMONIUM IMPEDIEN-  
TIBUS.

## I.

Consen-  
sus ma-  
trimonia-  
lis debet  
esse i. le-  
gitimus,  
quem im-  
pedit

**M**ATRIMONIUM potissimum consistit in *cansensu*, hoc est, in unione voluntatum, tamquam imagine affectus Christi in Ecclesiam. Consensus ille debet esse *legitimus*, hoc est, institutioni divinæ, legibusque, cum ecclesiasticis, tum civilibus, conformis. Nam in re tanti momenti, cui omnis societas civilis superstruitur, consultum non est, ut suo quisque sensu abundet, suum quisque affectum, suum sequatur ingenium, suam libidinem. Institutionis divinæ præceptum est, ut unus uni individuo vinculo jungatur, ne affectus sit divisus aut incertus, ut communi cura sobolis educatio promoveatur. Quod ut omni modo observetur, jure ecclesiastico & civili multa impedimenta indicata, multaque solemnia, in hac coniunctione observanda, præscripta sunt.

vel natu-  
ra,

vel lex  
divina

II. IMPEDIMENTA matrimoniī vel a *natura*, vel a *lege*, vel a *facto* nubentium oriuntur. *Naturale* impedimentum est ætas immatura *impuberum*, masculorum infra XIV. femellarum infra XII. annos: quamquam jure canonico habitus corporis magis, quam anni, spectandus<sup>1</sup>. Item, *impotentia* continua & immedicabilis<sup>2</sup>. *Legale* impedimentum est cognac-

*tio & affinitas, respicitque inter personas, inæquali gradu conjunctas, disparitatem etatis, & reverentiam naturalem, cum licentia nuptorum vix conciliandam; inter personas æqualis gradus periculum corruptionis, cui personæ in eadem familia educatæ aut continuo convergentes, si matrimonii spes foret, expositæ essent. His prohibitionibus Deus vincula societatis humanæ multiplicanda, & caritatem hominum erga homines extendendam & dilatandam esse censuit<sup>3</sup>.*

1) C. 3. X. de sponsal. impub.

2) tot. tit. X. de frigid.

3) AUGUST. XV. de div. c. 16.

III. ECCLESIA inhæsit omnibus legi & huma-  
nis divinæ<sup>1</sup> prohibitionibus, quæ excludunt in linea recta in infinitum omnes consanguineos  
vel cognatos; in collateralí materteras solum,  
fratresque & sorores<sup>2</sup>. Sed pridem creditum,  
prohibitionem illam extendendam esse ad  
omnes consanguineos, qui sibi mutuo succede-  
re possent, h. e. ad septimum gradum, ultra  
quem non amplius parentela attenditur<sup>3</sup>.  
Concilium Lateranense tamen eam cum ratio-  
ne consanguinitatis, tum ratione cognationis,  
ad quartum; ratione affinitatis ad primum gra-  
dum, qui est inter conjugem & conjugis con-  
sanguineos, reduxit; quum in hac etiam secun-  
dus inter secundum conjugem & prioris con-  
jugis consanguineos, imino & tertius inter se-  
cundam conjugem secundæ conjugis & primæ  
conjugis consanguineos olim attenderetur<sup>4</sup>:  
quæ duo affinitatis genera dicto concilio sub-  
lata sunt<sup>5</sup>.

- 1) *Levit. XVIII. 5. XXII. 11.*  
 2) *Vid. Gloss in C. literas 13. X. de restit. spoliar.*  
 3) *PETR. DAM. Opusc. 8. de par. grad.*  
 4) *C. 8. X. de consanguin.* 5) *Ibid. C. non debet.*

gradibus  
prohibi-  
tis,

IV. CONCILIOUM Tridentinum restrinxit etiam alia hujus generis impedimenta<sup>1</sup> e crimine orientia. Nam secundum canones illicita conjunctio operatur affinitatem cum consanguineis stupratæ<sup>2</sup>, quam concilium reduxit ad gradum secundum, qui sit impedimentum dirimens, & eam, quæ ex validis sponsalibus oritur, quæve honestatis publicæ dicitur, ad gradum primum, c. 3. restricta etiam cognatione spirituali, in baptismo seu confirmatione contracta, quæ non ultra parentes lustricos, baptizantem, baptizatum, baptizatique parentes extenditur. c. 2. Quam ob rem plures parentes lustricos adhibere prohibuit. His restrictionibus opus videbatur, quia multi per ignorantiam tales nuptias contrahunt, quas siire peccato non continuare, nec sine scandalō rumpere queunt.

1) *Sess. 24. Ref. c. 4.* 2) *tot. tit. de eo qui cogn. consang.*

qui cano-  
nica  
compu-  
tandi.

V. GRADUS numerantur computatione canonica, quæ unicuique generationi unum tantum gradum adsignat, etiam collaterali, sic ut pater & soror sint in primo, fratrum liberi in secundo, nepotes in tertio gradu. In inæqualium computatione numerantur generationes longius distantis personæ usque ad stipitem communem. Sic patruus & neptis sunt in secundo, filia patrui in tertio gradu. Hæc computandi ratio in usu fuit temporibus Grego-

rii<sup>1</sup>. In materia successionum sequimur computationem juris civilis, quod alterum tantum graduum inter easdem personas interjicit.

1) lib. ult. ep. 31. ad August. c. 6.

VI. Q U I per ignorantiam in gradu qui di-  
prohibito nuptias contraxere, iis dispensatio spenser<sup>2</sup>  
haud denegatur<sup>1</sup>. Sed ante matrimonium  
contractum raro, nec sine prægnante caussa,  
conceditur. In gradu secundo solus pontifex  
& quidem publicæ salutis caussa, inter princi-  
pes; in quarto autem, vel si pauperes sint, in  
tertio, etiam Episcopi, partim longa consue-  
tudine tuti, partim pontificis auctoritate mun-  
iti, dispensant. Quæ dispensationes omnes  
ex concilii præscripto debent esse gratuitæ.

1) Concil. Trid. Sess. 14. c. 5.

VII. IMPEDIMENTA ex facto nū- vel eri-  
bentium orientia sunt: præcedens consensus in men.  
aliud matrimonium futurum; solemne votum  
castitatis; adulterium sub promissione matri-  
monii in casum morientis conjugis perpetra-  
tum, aut cum insidiis prioris conjugis vitæ  
structis conjunctum<sup>1</sup>.

1) C. 3. q. 1. c. 3. 4. 5. C. 3. X. de eo qui dux. in matrim.

VIII. N E C sufficit, impedimenta nul-  
la esse. Oportet præterea consensus esse li-  
berum. Ergo furiosus; ergo qui erravit; qui  
coactus est, matrimonium non contrahit. Qui  
erravit, inquam, in persona, ut Jacob in Lea,  
aut in conditione personæ, veluti servæ. Metus  
talis esto, qui in hominem constantem cadere  
potest: hinc rapta raptori nubere nequit<sup>1</sup>.

1) C.24. X. de sponsal. C.29. q.1. c.2. &c. 4. X. de conjug. secul. Con il. Trid. Seff. 24. c.6.

eorum,  
qui sunt  
sui juris.

**IX.** QUI sunt in potestate alterius, ut filii familias & minores, ii matrimonium contrahere non possunt sine consensu eorum, in quorum potestate sunt. In hoc negotio arduo potissimum ex præscripto legis divinæ parentes sunt honorandi. Hinc jure nostro prohibentur talia matrimonia, & pastores, qui ea benedicunt, habentur pro raptus sociis, exheredandis, qui ita convenere, liberis<sup>1)</sup>. Qui per declarat. 1639. liberi, ex matrimonii usque ad finem vitæ secretis, vel ex feminis, quibus patres in articulo mortis demum juncti sunt, nati succedere nequeunt, quum hujusmodi conjunctiones turpitudinem concubinatus magis sapiant, quam connubii honestatem.

1) Stat. Bles. art.40. Melodun. art.25. edit. 1556.



### C A P. V I.

## DE NUPTIARUM SOLEMNIBUS EARUMDEMQUE DISSO- LUTIONE.

### I.

3. Solem-  
nis

**U**t certum fiat, non esse impedimentum matrimonio libere contracto, & ut semper probari possit; plures legibus ecclesiasticis & civilibus cærimoniam sancitæ.

declar-  
tus inter  
sponsalia,

**II.** PRINCIPIO nupturi post pacta dotalia in diœcesibus, in quibus id usus fert,